





In coronatione Adriani VI. Pont. Max. J. Vitalis ad J. Ruffum archiepiscopum Consentinum congratulatio



<https://hdl.handle.net/1874/192493>

Vandredde





IN CORONATIO
NE ADRIANI VI.
PONT. MAX.
I. VITALIS AD
I. RVFFVM AR
CHIEPISCOPVM
CONGRATVLA
TIO.



IN CORONATIONE ADRIANI SEXTI
PONT. MAX. I. VITALIS AD I.
RVFFVM ARCHIEPISCOPVM
CONSENTINVM CON
GRATVLATIO.

Adeste Hendecasyllabi frequentes,
Adeste o placidi, atq; delicati,
Lati, candiduliq; blanduliq;
Qui uestro placeatis undecunq;
Ruffo munifico, optimo, crudito,
Ruffo præcipuo, integro, uerendo,
Ruffo omnis sapientiæ magistro,
Et patri, simul omnium decorum,
Nanq; hic festus erit dies frequenter
Nobis Lætitia dator beatæ,
Quo sextus bene Pontifex Coronam
Et sceptrum, & trabeam Adrianus illam
Auroq; atq; Adamantibus rigentem
Sumit, Pontificum decus supremum
Sacrorum, ergo agite hinc, & hinc, & inde
Sacras concipite, optimaq; musas,
Et Phœbum e penetralibus ciete,
Vmbrosiq; Heliconis officinis,
Det uobis pater omnium leporum
E Nyfa rediens amceniori
Bacchus quicquid habet facetiarum,

A ii

Iocorum si mul, atq; amœnitatum,
Hinc hinc o igitur malas in horas
Abite in tenebras remotiores
Curarum stimuli, seueriorum,
Hunc diem thyasi decent frequentes,
Hunc diem lepidæ iocationes,
Hunc diem cyathi frequentiores,
Quales post domitos feros Gigantes
E septemPLICIBUS foris olympi,
Victores referunt Deos, deasq;
Bibisse Ambrosiæq;, Nectarisq;
En qualis domino suo, deoq;
Apparet saliens Remi iuuentus,
Atq; omnis simul ore lætiori
Vox iubet dominum ualere nostrum.
Et uox assonat omnis Adrianum
E septem addita collibus, nec usq;
In tota requies fit urbe, uerum
Per templa, & fora lata, & Angiportus,
Per sublimia machinis Theatra,
Per & compita compta, per plateas
Vndanti properatur hinc, & inde
Gaudendum fluuio, atq; gratulantum,
Hic lauros manibus gerit decoras,
Serta hic temporibus ligat serenis,
Hic canit simul, & simul canendo
Addit plectra lyræ disertiori,

Et refert, Deus, ut sibi Adrianum,
 Nil tale ultimo ab orbe cogitantem
 Legit Pontificem optimum, & beatum,
 A feruentibus usq; Celtiberis,
 A frementibus Herculis Columnis,
 Qua maris super arduas procellas
 Frangit, murmura sempiterna, Calpe,
 Vt tandem freta uenerit per alta,
 Ad magnum imperium ad suos penates,
 Et Romam decorauerit uidendo.
 Addit his studium, & decus supremum
 Virtutis meritæ, integrosq; mores,
 Quales uel Numa, uel bonus Metellus,
 Aut quales Scipio Nasica fouit.
 Atq; ut diuitias, malamq; rerum
 Nihil luxuriam omnium moretur,
 Non auras tenues, leuesq; fumos
 Vulgi solliciti, atq; garrientis,
 Tantum seria parcitas, & æqui,
 Et desiderium optimi, atq; honesti
 In cordis penetralibus penates
 Assumpserunt suos boni Adriani,
 Atq; hinc omnia recta, sancta, casta
 Aquis aspiciunt benigna ocellis,
 Hinc uirtus alitur, uidetur, atq; hinc
 Ornatur probitas, fides nitescit,
 Hinc prudentia larga, sanctitasq;


Amantur, uenerantur, excoluntur,
O uero aurea secla ueriora,
Iam Saturnia non magis uocanda,
Sed Florentia tempora Adriani,
Ornata ingenuis uiris, nec ullis,
Fœdata Ocnomaisq;, Pentheisq;
Non Cyclopibus, horridisq; Cacis
Harpyisq; rapacibus, nec Hydris
Non hæc tempora bellicosa, nec sunt
Improbanda malis Neronianis,
Sed laudanda, colenda, prædicanda,
Bonis Pontificis boni Adriani,
Sub quo nō lapithas ferunt superbos
Non & Geryonesq;, noxiasq;
Maritis Danaas, sed undecunq;
Passim præcipui eminent Marones
Et magni Liuiiq;, Tulliiq;
Tibulli fugiunt, Propertiiq;
Et Naso sequitur suam Corynnam
Vsq; ad Thermodoonta, Caspiosq;
Rigentes fugientem ad usq; fines,
Et Gallus sequitur suam Cytherim,
Ad Rheni gelidas niues latentem
Mollis arma Cupidinis, facesq;
Franguntur, remouentur, improbantur,
Nullus mollibus est locus poetis
Verū Challimachis, Linis, Homeris,

Orpheis grauibus, Maronibuiq,
 Atq; hinc undiq; pullulant Camilli
 Pompeii, Deciiq;, Cæsaresq;,

Illinc Annibales ferociores,
 Atq; hinc Scipiadae potentiores
 Crescunt te duce maxime Adriane,
 Atq; istis radiis tuis nitescunt,
 Virtutis radiis nitentioris,
 Catones tetrici, & boni Solones,
 Clari Publicolæ, optimi Lycurgi,
 Fortes Sulpitii, integri Luculli,
 O uero aurea secla ueriora,
 Iam Saturnia non magis uocanda.
 Sed Florentia tempora Adriani,
 Cuius gloria terminatur astris,
 Et uirtus super astra fertur alta
 Nunc est uiuere puluerem Sybillæ
 Cumææ, aut maris utriusq; guttas
 Guttas Oceani tumentioris,
 Nunc est uiuere dulce, nec timendum
 Nobiste duce maxime Adriane/
 Nam te qui colit, huc Deus secundat,
 Fortunatq;, memor sui Adriani
 Amici ingenui, optimi, atq; casti,
 Nam sub principe casto, & innocenti
 Plebs caste ambulat omnis innocēsq;.

FINIS.

A 2317500



Opheis grandis, Manducata
 Ant. hinc nudi p. hinc l. n. Cam. li.
 P. hinc, D. hinc, G. hinc, C. hinc.
 Illuc, An. hinc, hinc, hinc, hinc.
 A. hinc, S. hinc, hinc, hinc, hinc.
 C. hinc, hinc, hinc, hinc, hinc.
 A. hinc, hinc, hinc, hinc, hinc.
 V. hinc, hinc, hinc, hinc, hinc.
 C. hinc, hinc, hinc, hinc, hinc.
 C. hinc, hinc, hinc, hinc, hinc.
 O. hinc, hinc, hinc, hinc, hinc.
 J. hinc, hinc, hinc, hinc, hinc.
 G. hinc, hinc, hinc, hinc, hinc.
 C. hinc, hinc, hinc, hinc, hinc.
 N. hinc, hinc, hinc, hinc, hinc.
 C. hinc, hinc, hinc, hinc, hinc.
 G. hinc, hinc, hinc, hinc, hinc.
 N. hinc, hinc, hinc, hinc, hinc.
 M. hinc, hinc, hinc, hinc, hinc.
 F. hinc, hinc, hinc, hinc, hinc.
 A. hinc, hinc, hinc, hinc, hinc.
 J. hinc, hinc, hinc, hinc, hinc.
 H. hinc, hinc, hinc, hinc, hinc.

1752

and 5842